

nae, ut adeo nostrum geminum videatur illi, cujus Capita enumerat *Echardus cit.* T. I. p. 738. Ubi tamen illius Exemplum ait: Judaeos jam *plusquam mille trecentis annis* incassum ad Deum clamare, nostrum *annos* numerat *mille CCCIII.* Exemplum vero impressum in collectione *Günth. Zeiner Augustae* cum *Thoma de Kempis s. a. f.* non nisi *plus quam mille annos* adsignat, et quanquam in duas Partes, ut oportet, distinctum sit, multo tamen etiam nostro succinctius est. Illud addo: Praefatiunculam, quae in *Cod. nostro DCXV.* praefixa est hoc initio: *Tolle arma tua &c.* in mox memorata *edit.* occurrere ante secundam P. seu *Probaciones novi testamenti ex veteri testamento.* Ultima in *Cod. nostro* praesenti sunt: *non quiesces neque erit requies vestigio pedis tui Amen* *Explicit thalmut et cetera.*

CCCLXVI.

551 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 314. 4. a Variis currente calamo exaratus haec complectitur: I. *Excerpta*, ut in calce, de *Thalmuth.* Initium: *Talmut id est doctrina diuiditur in IIII. libros quorum quilibet appellatur Cezer &c.* Atqui nec IV. sed VI. neque *Cezer* sed *Seder* scribere debebat Librarius. Ita et alia passim corrupta sunt in *Libello*, cujus scopus, crassiora *Rabbinorum σφαλματα* confutare. Priorem ejus partem circa a. 1473. typis vulgavit in Col-

lectione *Opusculorum* quadam *Güntherus Zeiner Aug. Vindel. f.* inscriptam *Errores Judeorum extracti ex Talmut.* Totus vero continetur, licet diversimode ordinatus et interpolatus in *Pharetra* illa *Fidei* tributa *Theobaldo* cuidam O. P. cujus *Exempla* dedimus jam *Codd. praeced.* et pluribus aliis. Itaque hic tantum noto, *Librarium nostrum* *Opusculo* majorem aetatem adrogasse, quam aut scribendi ratio scholastica aut aliorum *Codicum* fides patiat, ubi enim is: *Nunc autem omnino proiecit eos deus, quia plus quam mille annis clamauerunt ad Dominum nec liberat eos de manibus Christianorum*, alii *mille trecentos* et plures annos ponunt.

II. *fol. 10.* Series *Quaestionum* *Theologicarum* methodo scholastica pertractatarum de diversis materiis, quas nomine *Disputationum Aularium* per *Feriarum* aestivarum tempus diebus *Veneris* sub *Priore*, ut vocabatur, *Collegii Ducalis* ventilatas fuisse a *Theologis Viennensibus* cum *Quaestio fol. 47.* inscripta *Domino Priori*, tum *Orationes* II. iis interjectae, de quibus mox, suadent. *Quaestionum* prima est: *Vtrum culpa secundum se magis mereatur supplicium, quam iusticia premium?* Dogmaticis mixta sunt *Moralia.*

III. *fol. 121. et 125.* *Orationes* II. quarum *Prior* incipit: *In presenti actu primo instancium vacationum iuxta laudabilem consuetudinem huius Collegij duo sunt.*

1405

P O L E M I C I.

1406

sunt per ordinem facienda. Primo est una brevis collatio premittenda, 2° una questio disputanda. Quorum ad primum assumo verbum Daviticum. Psal. 118. scriptum, *Lucerna pedibus meis verbum tuum. Venerabiles P. M. et Domini mei &c.* Altera: *In hoc actu ultimo Vacacionum restant duo per ordinem facienda. Primo est una Collatio breuissima premittenda, 2° una questio disputanda. Quantum ad primum resumio thema per me alias in prima collatione propositum. Lucerna pedibus meis &c.* Autoris nomen non reperio. Post has Collationes resumuntur *Quaestiones Quodlibeticae*, ut supra, atque Palaestra haec *Viennensis* Seculo etiam sequente testem et laudatorem habuit famosum Pugilem *Joh. Eckium*. Vide *Conspect. Hist. Univ. Vien. Sec. II. p. 88.* ad an. 1516.

IV. fol. 151. Libellus absque inscriptione et Autoris nomine, quem *Apocalypsin Alchemisticam* dicas; Arcana enim τῆς Χρυσουρουας allegoriis involuta phrasi potissimum biblica proponit, *Apocalypsi Johannis et Canticis Cantic.* maxime abutens. Initium est: *Nobilissime Monadis speciosa forma Virginis Imperantis gerens ymaginem duplices eorum formas uno eodemque ordine ad inferiora transmittit. Quapropter in inferioribus in illo eodem ad quod tendit in exemplo mater tribuit operari. Ad hanc ut veni me complexa cor lacrimavit et dixit, tibi gratias ago O sol, quod antequam se-*

culum finiatur, conspicio in regno meo filium meum, cui adhuc in cunabulis constituto solem in cibum dedi et lunam, hic heres meus erit. Delabitur mox *Nugivendulus* nofter ad describendum Virginis Thronum XII. Zodiaci Signis circumdatum, quibus insident *Hermes, Geber, Plato, Salomon, Virgilius, Banmech, Aristoteles, Ovidius, Alkimus, Alexander, Geresias et Vanus.* Quoniam vero *Virgilium Lombardum* atbonomastice *Poetam* dictum, et *Ovidium Romanum* inter physice professores principem adpellat, homini non ultra auscultandum cenfeo.

V. fol. 159. Collectio *Sermonum* varii Argumenti sacri habitorum *Viennae* potissimum ad Academicos, quorum eos, qui aut nomen Oratoris, aut *χορευτικον ἢ τοπικον* ἢ produnt, nominatim indicabo. Fol. 161. Sermo in Purificat. B. V. in illud: *Cum inducerent puerum &c. Luc. 2.* Initium: *Sancti spiritus organum beatus videlicet Gregorius &c.* Ad calcem: *Pronunciatus — in latere Apostolorum Chori ecclesie Sancti Stephani wyenne. Anno &c. 1425.* Fol. 175. Sermo in initio Disputationum aularium 1425. 6. die Augusti in Aula Collegij. Initium: *Humane nature fragilitas quamvis sit eminentibus &c.* Fol. 177. p. 2. Collatio in fine disputacionum Aularium in die exaltacionis sancte Crucis. 1425. Initium: *Sedens docebat de nauicula turbas &c.* Fol. 201. Pro initio disputacionum aularium. Initium:

1407

C O D I C E S

1408

tium: *Venerabiles viri Doctores et M. ac ceteri singuli Domini prestantissimi et amici &c.* Ad calcem: *In Aula pronunciatum in octava petri et pauli.* 1431. Fol. 206. Pro fine harum Disputationum. Initium: *Habent quod manducant &c.* Ad calcem: *Anno 1431. in die exaltationis sancte crucis.* Fol. 246. Sermo pronunciatum per *M. Stephanum de Stokbarn.* Agit de Natali D. N. J. C. hoc initio: *Pax hominibus bone voluntatis, Luc. 2º. et in prime misse bujus sanctissime festiuitatis sancto ewangelio &c.* De Oratore nil reperio. Fol. 258. Sermo pronunciatum per *M. Narcissum de Perching.* In Festo Pentecostes. Initium: *Ille vos docebit. Scribitur Job. 14. &c.* Orator cognomine *Herz* Academiae toti praefuit a. 1423. et 31. Inter Visitatores ejus a Concilio *Basil.* deputatos fuit a.

1434. Canonicus ad *D. Stephanum* supremum habuit a. 1442. Fol. 268. *M. Jobannis Angerer* Sermo in Paschate. Initium: *Surrexit non est hic. Scribitur originaliter Marci 16. c.* Rexit Vir hic Praepositus *Gurnicensis* in *Carinthia* uniuersam Academiam a. 1417. et 29. Ortus ex *Muldorf* obiit a. 1432. locumque inter *Scriptores Uniuersit. Vien.* P. I. p. 84. obtinuit. Uniuersi porro hi Sermones, ii etiam, quos praeteruimus, intra annos 1426 — 29. habiti uidentur, et maximam partem ob multa intrusa et refecta *ἀνοργαφοί* cenferi possunt. Similes porro indicauimus *Cod. DCVI.*

VI. fol. 302. adhaerent: Sylloge variarum Sententiarum ex Autoribus sacris et profanis, quibus immixti sunt Rhythmi fatirici contra Gregorium XII. ubi inter alia de Ejus adfectis:

Jo. (Dominici) Ragusinus, frater gabriele gabadeus (Vide *Cod. CCCCLIX.*)

Quattuor equales inutiles carpidinales

Henricus (Minutulus) ridens, Tudertinus (Ant. Calvus) male uidens,

Consors laudensis (Ang. Summaripa) christi quos iudicet ensis.

Sunt ypocrite fraticelli sodomite

Nequam latrones periurij buzerones &c.

2º. Medicamina quaedam Capillorum et Faciei. 3º. Summaria gemini Libelli supplicis ad Pontificem pro collatione Beneficii; prioris quidem nomine supra memorati *Job. Angerer* pro Beneficio conferendo vel a Dioecesi *Salisburg.* vel a Monasterio *Gott-*

wicen. O. S. B. vel ab Utroque communiter; alterius pro Anonymo in Dioecesi *Patav.* 4º. Noti illi IV. *Bobemorum Articuli*, prout extant apud *Cochlaeum Hist. Hussit. L. V. p. 199.* et a nobis non semel jam indicati sunt.

CCCLXVII.